

sciatur, mox subdit:<sup>82</sup> *Sed clarum quod hoc modo quidem scit, quia universale scit, simpliciter autem nescit.* Antequam ergo simpliciter, id est particulariter sciamus, scimus universaliter, per quod universale etiam particulare scimus, ita enim 2. Analytico capite 5 docet:<sup>83</sup> *Universalis ergo contemplamur ea qua in parte.* Si ergo universalis scientia in nobis est antequam inductio aut syllogismus fiat, atque si per universalem scientiam particularem acquirimus, cum nulla alia in nobis sit, universalem scientiam ab intellectu habemus, qui eam habens in nos descendit perque eam 10 cum particularium scientiam acquiramus, cui iam dubium eam scientiam reminiscientiam esse? Non enim est aliud reminiscencia, quam cognitionis prioris resumptio, resumimus ergo quam prius habueramus particularium atque simpliciter scientiam, per universalem scientiam, quae in intellectu salva remanserat. Ita 15 dogma maxime ab Aristotele impugnatum per dogmata eius reddit in lucem atque integrum manet.

INSTITUT  
ZA FILOZOFIJU

<sup>82</sup> ἀλλὰ δῆλον ὡς ώδὶ μὲν ἐπίσταται, ὅτι καθόλου ἐπίσταται, ἀπλῶς δ' οὐκ ἐπίσταται. [ARIST. A Po. 71a.27 – 29]

<sup>83</sup> Τῇ μὲν οὖν καθόλου θεωροῦμεν τὰ ἐν μέρει. [ARST. A Pr. 67a.27]